



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

C. 22. Circa Vasa, ac Sacras Vestes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80513](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80513)

Sectio II. De Missâ, Problemata. 145

458
Existimo, ob causam etiam non valde gra-
uem celebrari licere cum igne ardente in sebo,
modo ablit scandalum. Sed prima sententia
libenter magis adhaerim.

PROBL. XCI.

*Mortale crimen est, & mortale non est,
sine Cruce celebrare.*

459
Mortale est. Quia magnam eius omisso ir-
reuerentiam continet, cum Missalis Rubri-
ca sapè præscribi caput inclinandum esse Cru-
ci super Altare collocatæ. Sic quidam Docto-
res apud Fagund. *prac. 1. l. 3. c. 2. n. 7. 32.*

460
Mortale non est. Quia nec in iure præcipitur,
nec res secundum se secluso contemptu, grauis
esse videtur. Ita Suar. *d. 81. sect. 6. Regin. l. 29. n. 197. Villalob. tom. 1. tract. 8. diff. 26. n. 6. Ho-*
mophon. in exam. p. 1. tract. 4. c. 15. q. 143. Diana
p. 2. tr. 14. resol. 45. Filliuc. tr. 5. n. 123. Bonac. d. 4. q. ult. p. m. 9. n. 30. Vasq. d. 233. n. 27.

461
Sicut alia Rubrica non inducunt in le-
ui materia grauem obligationem, sic in præ-
senti solum admittit existimo obligationem
sub veniali. Imò cum quolibet causa excusat,
à peccato veniali, nunquam Sacerdos venia-
liter delinquet sine Cruce celebrando, quia ipsa
sola Missæ celebratio sufficit ad excusandum à
veniali peccato, nè scilicet tanto sacrificio pri-
uetur Ecclesia.

PROBL. CXII.

*Liber deest, & Sacerdos adeò est instru-
ctus, & sic de sua memoriâ confidit, vt
moraliter non dubitet, se cuncta per-
fectè recitaturum: sine Missali hic po-
terit, & non poterit celebrare sine le-
thali culpa.*

462
Non potest sine lethali culpa. Quia in re
tam graui non est ita memoriæ fidendum
cum aliquo labendi periculo, quod prudenter
semper est formidandum. Et quidem circa Ca-
nonis verba periculum obliuionis, aut omissionis
subire graue est peccatum. Sic Fagund. *prac. 1. l. 3. c. 21. n. 23. Coninch. q. 83. n. 251.*

463
Potest sine culpa lethali, imò absolutè licet,
quando moraliter non subest errandi pericu-
lum, & abest contemptus, & scandalum. Quia
tunc non fit sacrificio irreuerentia, nec mora-
le errandi periculum. Vnde communiter ex-
citantur Sacerdotes illi, qui cum legere non
possint ob visus debilitatem, adhuc celebrant,
memoriter Missam recitantes, & videntes quan-
tum satis sit, ad reliquas Missæ actiones ritè
peragendas ita Auerla *quæst. 11. sect. 13. Laym.*
lib. 5. tract. 5. c. 6. num. 17. Vasq. d. 233. num. 27.
Diana p. 2. tract. 14. resol. 46. Card. de Lugo d.
20. num. 78. Petr. de Ledefm. sum. 10. tr. de Eu-
char. c. 20.

464
Ego quidem hanc sententiam probabiliter
admodum existimo. Monuerim autem cum
Diana, si Missale deest, librum alium adhiben-
dum eius loco propter adstantes, vt scandalum
Esob. & Menâ. *Theol. Moral. T. III.*



CAPVT XXII.

Circa Vasa, ac Sacras Vestes.

PROBL. XCIII.

*Bonâ sine Sacerdos celebrat in Calice, &
Patena non consecratis: eo ipso ma-
nent, & non manent Vasa eius-
modi consecrata.*

465
MANENT quidem consecrata. Quia
Ecclesia polluta alia reconciliatione
non eget, si quis in ea celebravit: Er-
go Calix, & Patena consecratione aliâ aut bene-
dictione non indigebit, postquam in illis est ce-
lebratum. Certè per contactum sanguinis Do-
minici sanctificatur Calix, & per contactum
corporis sanctificatur patena: Ergo aliâ con-
secratione seu benedictione non indigent, cum
nulla possit tali contactui æquiuale, per quem
iam non manet materia profana, sed sacra. Sic
Celest. *in compend. Theol. tr. 8. c. 5. q. 9. Trimarchi*
& Peyrin. quos sequitur Franch. de Nigro in ad-
dit. ad Ruiz p. 6. animaduers. 8. n. 4. Diana p. 2.
tr. 14. resol. 69. & p. 5. tr. 13. resol. 68.

466
Consecrata
non manent.
Consecrata ea vasa non manent. Quia tam
consecratio Calicis, & patenæ, quam benedi-
ctio mapparum, corporalium vestiumque sacra-
rum fuit per Ecclesiam introducta, designatis sci-
licet certis ritibus & verbis per determinatas
personas adhibendis ad hæc valide consecran-
dum, seu benedicendum: Ergo dum talis ritus,
& talis forma verborum per idoneam personam
non adhibentur, non erunt verè consecrata. Ita
Fagund. *prac. 1. l. 3. c. 21. n. 15. Card. de Lugo d. 20. n. 91.* & Doctores, qui edocent, Ecclesiam pol-
lutam per celebrationem Missæ non reconci-
liari.

467
Idem asserunt. Nam Ecclesia non celebra-
tioni Missæ, sed præscriptis à scriptibus & verbis
adscribit veram consecrationem, quam ipsamet
in vasis, linteis, ac vestibus requirit. Fateor, Ca-
licem, & patenam per contactum illum aliquam
dignitatem moralem acquirere, ob quam ipsis
aliqua veneratio debeat: non tamen acqui-
runt illam sanctificationem, seu consecrationem,
quam Ecclesia requirit in eis, vt ritè sacris mi-
nisteriis deferuiant. Quare secundam senten-
tiam reputo in praxi tutam. Primam autem non
ita per locum intrinsecum. De probabilitate
quidem per locum extrinsecum mihi addubi-
tandi pungit stimulus.

PROBL. XCIV.

Si Calix & Patena deaurata sint, & per usum deauratio tollatur: amittunt, & non amittunt consecrationem.

458 **Q**uando tota deauratio simul tollitur consecrationem amittunt. Quia tollitur substantiam immediatam consecrationis. Sic Paludan. in 4. dist. 13. quest. 2. Azor. tom. 1. lib. 10. c. 28. q. 6.

469 **N**ec quando tota deauratio simul tollitur, consecrationem amittunt. Quia non inauratio sola, sed Calix totus ac Patena consecrata censentur, quando materia est apta consecrationi, licet suprema solum superficies inungatur. Ita Sylvest. Angel. Armil. Tabien. v. Calix. Henric. l. 9. cap. 28. n. 2. Suar. d. 81. sect. 7. Coninch. q. 83. n. 245. Laym. l. 5. tr. 5. c. 6. n. 6. Fagund. prac. 1. l. 3. c. 21. n. 24. Filliuc. tr. 5. n. 132. Bonac. d. 4. q. ult. punct. 9. n. 19.

470 **C**um his opinor, hanc esse communem praxim existimans. At certe non video, quoniam modo solo usu tota simul tolli possit Calicis, aut Patenae deauratio. Quid si tollatur per artificem, non per usum relicto solo argento? Consecrationem non amittere consecratiore alicui, quam cum inauratione simul receperat. Diversa namque est ratio quando tollitur tota crusta Templi consecrati, quod ideo reconciliari debet, quia consecratio Templi soli crustae adhaerescit. Secus autem in Calice, cuius consecratio soli superficiei non inest. Unde sicut manet idem absolute Calix, sic etiam eandem absolute consecrationem retinet.

PROBL. CXV.

Calix, & Patena argentea, vel stamea sine auro consecrantur, & inaurantur interius post consecrationem: Indigent, & non indigent noua consecratione.

471 **N**oua consecratione indigent. Quia horum valorum consecratio praecipue fit ob Dominici corporis ac sanguinis contactum: ac subinde praecipue in superficie fieri censetur, secundum quam ille contactus fit: sed quando denique inaurantur qua parte corpus, & sanguinem Domini contingunt, additur noua superficies illi contactui proxima: Ergo noua requiritur consecratio. Sic Angel. Sylvest. Armil. v. Calix. Manuel in sum. to. 1. c. 147. concl. 21. Moure p. 3. c. 5. §. 1. n. 7. Azor. tom. 1. d. 10. c. 28. q. 4.

472 **N**on indigent noua consecratione. Quia cum res semel consecrata nunquam amittat consecrationem quandiu manet eadem, & integra, (vt docet D. Thom. 3. p. q. 83. a. 3. ad 3. & communiter Doctores, edifficile videtur, quod Calix consecrationem amittat per nouam inaurationem, si quidem nec frangitur, nec ita mutatur, quin absolute maneat idem. Quare retinere debet suam

consecrationem, sicut illam retinet Ecclesia, quando paulatim reficitur, in qua pars noua censetur consecrata hoc ipso, quod consecrata additur. Ita Durant. in Ration. l. 1. c. 6. §. 6. Coninch. q. 83. n. 246. & 247. Diana p. 2. tract. 1. resol. 3. Card. de Lugo d. 20. n. 95. Probabiliter reputat Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 6. num. 7. Valq. d. 233. c. 3. n. 32. primam sententiam vocat probabilior, subindeque secundam censet esse probabilem.

Ego vero probabiliorē puto secundam, quia cum execratio Calicis odiosa sit, in casu dubio admitti non debet, vel sine textu manifesto. Nec vrgere iudico quod aduersarij dicunt, superficiem internam, quae per nouam inaurationem fit, esse partem principalem, quia continet & contingit immediate Dominicum corpus & sanguinem. Inde enim sequeretur, Calicem recens inauratum quoad usum sacrificij diuersum esse moraliter à precedente, si quidem nouam ideo requirit consecrationem. Unde fieret ulterius idem esse cum inauratio Calicis consecrati deperditur, si quidem quoad usum sacrificij principalem partem amittit, dum interius aurum immediate contingens Dominicum sanguinem omnino detritum est, ac subinde quando Calix, aut Patena consecrantur inaurata, posteaque inaurationem perdunt, amitterent consecrationem: quod esse contra communem Ecclesiae usum quis non videat?

PROBL. CXVI.

Calix per cuppa separationem à pede amittit, & non amittit consecrationem.

Amittit quidem. Quia amitti videtur forma seu figura Calicis: si quidem cuppa sine pede non est Calix aptus ad sacrificium, & ideo consecrari non potest. Ergo nec consecrationem ante receptam retinere etiam quando iunctura cuppa cum pede tornatilis est. Sic Antonin. 3. p. ii. l. 3. §. 5. Palud. in 4. dist. 13. q. 2. a. 5. concl. 2. Barthol. ab Angelo de Missa dial. 4. §. 23. Sylvest. v. Calix. q. 2.

Non amittit, quando cuppa separari potest à pede sine fractione, quia iunctura tornatilis est. Quia per huiusmodi separationem Calix non frangitur, sed solo nexu seu vinculo soluitur, quo cum pede cohaeret: ideoque fit tornatilis, vt scyphus separatus à pede melius detergetur, aut transportetur: nec ita fiet si necessarium esset toties resecrari Calicem, quoties dissolueretur. Ita Suar. dist. 81. sect. 7. Filliuc. tract. 5. n. 132. Bonac. d. 4. q. ult. punct. 9. num. 20. Moure p. 3. cap. 5. §. 12. n. 8. Coninch. d. 83. n. 28. Card. de Lugo d. 20. num. 93. Aueria quest. 11. sect. 13. Henric. cum aliis l. 9. c. 28. n. 2.

Hanc eligo sententiam, cuius rationem à priori sic reddo. Quia artificialis forma non solum manet eadem quando partes retinent eandem positionem localem physicam, seu distantiam in ordine ad se: sed etiam quando aptae sunt ad retinendam eandem distantiam absque nouo artificio. Quapropter artefacta, quorum partes

Seccio II. De Missâ, Problemata. 147

res nexu tornatili coniunguntur, eadem semper manere censentur.

PROBL. XCVII.

Cingulum debet, & non debet necessario esse benedictum.

477 **N**on debet. Quia licet in capite *Vestimenta Pontifex dicat, Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacra esse debent, & honesta*: tamen Cingulum propriè non est vestis, sed vestium ligatura. Quapropter in quibusdam locis non solet Cingulum benedici. At si necessariò benedicendum foret, ubique benediceretur. Nec obstat, quod in Pontificali seu Missali habeatur benedictio Cinguli: nam etiam habetur benedictio Ecclesiasticorum librorum, & tamen nec sunt necessariò benedicendi, nec solent benedici. Sic Richard. in 4. distinctione 13. art. 3. quest. 4. Scot. ibi, quest. 2. §. ad questionem Sylvest. Missa 1. quest. 2. Sa v. Missa, n. 10. Moure p. 3. c. 5. §. 13. n. 2.

478 **D**ebet plane. Quia ius in præfato Cap. *Vestimenta generaliter iubet, omnes vestes sacras benedici. At inter sacras vestes communitur Cingulum annumeratur, cuius si fors olim non habebatur benedictio, iam nunc specialis habetur communi quidem praxi recepta*: Ergo non minus requiritur benedictio Cinguli, quam aliarum sacrarum vestium. Ita Nauar. cap. 15. num. 84. Azor. tom. 1. lib. 10. c. 18. g. 9. Molles. in sum. p. 1. tr. 3. c. 12. n. 31. Ioan. de la Cruz in Direct. p. 2. de Missâ, g. 3. dub. 4. concl. 2. Valq. d. 233. c. 4. n. 49. Villalob. p. 1. tr. 8. dist. 18. n. 8.

479 **S**cio, plures ex hisce Doctoribus asseruisse, oppositam sententiam non esse probabilem. At tam graui censura dignam esse non censeo. Sufficiat, si secundam probabiliorē esse fateamur.

PROBL. XCVIII.

Cingulum ita rumpitur, ut neutra pars diuisa ad cingendum sufficiat. Porro retinet, & non retinet benedictionem.

480 **R**etinet profectò. Quia partes Cinguli, quæ enodari possunt facillimè videntur sufficienter aptæ ad cingendum, ideòque dum retinent eam aptitudinem, cur benedictionem retinere non censentur. Sic Sa v. Missa num. 12. Morf. Celest. Marchant. & Niger, quos sequitur Diana p. 1. tr. 14. resol. 57. & tr. 15. resol. 4. & p. 5. tr. 13. resol. 92.

481 **N**on retinet, nec licet partibus illis iterum nexis uti. Quia per talem ruptionem cingulum amittit formam aptam suo muneri cingendu: Ergo pariter amittit benedictionem. Hanc autem semel amissam per iteratam partium connexionem non recuperat. Ergo licet partes iterum connectantur, talis Cinguli usus licitus non erit. Ita Reginaldus. lib. 29. num. 160. Escob. & Mend. Theol. Moral. T. III.

Coninch. q. 83. num. 2. §. 1. Pitigian. in 4. dist. 1. 3. quest. 2. art. 4. Tanner. & Hurtad. quos sequitur Auerla q. 11. sect. 13. Card. de Lugo d. 20. n. 100. & alij.

His hæreo, & fundamentum huius sententiæ roboro, illud probans antecedens, scilicet Cingulum per ruptionem benedictionem amittere. Nam ita se habet hæc Cinguli fractio, sicut scissio Planetæ vel Stolæ in partes, & magis quam scissio manicarum ab Alba: sed hæc scissiones tollunt benedictionem: Ergo & illa. Quapropter hanc sententiam ita veram existimo, ut primam per locum intrinsecum probabilem esse non sentiam. Aliquando vidi Cingulum ruptum adhibita connexionē deferuire, quod non improbaui ad locum extrinsecum referens iudicium.

482

Hæc hæreo.

PROBL. XCIX.

Dimittens aduertenter vnâ, aut alteram sacram vestem, scilicet Manipulum, vel Cingulum: peccat, & non peccat lethaliter.

483 **N**on peccat mortaliter ex materiæ leuitate. Quia in quolibet præcepto, præsertim humano, materiæ leuitas à mortali excusat. Ergo excusabit in isto quod humanum est, & non ad substantiam sacrificij, sed ad ornatum pertinet. Sic Palud. in 4. dist. 13. quest. 2. artic. 5. Richard. artic. 3. quest. 4. Sylvest. d. Missa 1. num. 2. Henric. cum aliis l. 9. cap. 29. num. 5. Diana p. 2. tract. 14. resol. 86. & p. 5. tr. 5. resol. 62. Qui consequenter asserunt, celebrare cum Cingulo, vel Manipulo non benedicto, veniale peccatum esse ob materiæ leuitatem. Quod non improbabile censent Cardin. de Lugo dist. 20. numero 202. & Auerla q. 11. sect. 13. §. communiter.

484 **M**ortaliter peccat. Quia hoc præceptum directè cadit super celebrationem cum vestimentis debitibus ob reuerentiam, & cultum ministerij tam sublimis, & quolibet deficiente, deficit cultus debitus tali celebrationi: sicut minimo cibo, vel potu sumpto, soluitur ieiunium sub mortali requisitum ad communionem. Ità Suar. d. 82. sect. 3. Bonac. d. 4. q. ult. punct. 9. cum multis Vasq. dist. 233. cap. 4. Filiuc. tractat. 5. n. 150.

485 **C**enseo cum communi Doctorum, omissionem cuiuslibet sacræ vestis sufficientem esse peccati lethalis materiam. Quare celebrare sine Cingulo, vel Manipulo non benedicto grauem præcepti putarim violationem. Fateor tamen, primam sententiam satis esse probabilem. Nam cum grauitas obligationis circa hanc materiam, vel illam multum pendeat ab arbitrio prudentum, & tot vii prudentes arbitrentur obligationem gerendi Cingulum, vel Manipulum esse leuem; probabiliter quis potest ipsorum arbitrio adhærescere.

483

Nō peccat lethaliter.

484

Mortaliter peccat.

485

Idem censetur.

PROBL. C.

Licet, & non licet, ob metum mortis sine sacris Vestibus cunctis celebrare.

486
Nonnulla suppono.

Conueniunt Doctores, si metus incutiat in Christianae Religionis contemptum, non licere. Porro hinc infero, moraliter non posse casum occurrere, quo sine vestibus sacris celebrare liceat. Quia moraliter non contingit, ut aliquis alium adigat, incusso metu mortis ad celebrandum sine vestibus sacris, nisi ob Ecclesiae vel Religionis contemptum, ut Coninch. q. 83. n. 250. & Laym. l. 5. tr. 5. c. 6. n. 17. annotant.

487
Non licet.

Quid si huiusmodi contemptus secluso, casus possit accideret? Certè nec ob mortis metum quis sine cunctis sacris vestibus celebrare non potest. Quia quamvis ex omissione vnius sacrae vestis praesertim ex minoribus, qualis est Stola, Manipulus, aut Cingulum, non sequatur tantum scandalum, aut irreuerentia tanta resulteret, quae periculo mortis praeponderet. At ex omissione vestium omnium tanta resultat irreuerentia, tantum scandalum generatur, ut etiam praeponderare mortis debeat periculo. Sic Caiet. 1. 2. q. 96. art. 4. Filiuc. trakt. 5. num. 149. Fagund. praec. l. 1. c. 23. n. 17. & 19. Henric. l. 9. c. 29. n. 25. lit. C. Suar. d. 82. sect. 3. Granad. cont. 7. tr. 3. p. 1. d. 8. sect. 5. Castro Pal. tom. 1. tr. 2. d. 1. p. 13. num. 9.

488
Licet plane.

Ob mortis metum potest quis sine cunctis vestibus, imò sine Ara, Corporali, Calice, Patenâ, lumine, aquae mixtione cum vino: vel vel quod idem est vasa non sacra adhibendo celebrare. Quia humanae leges etiam Ecclesiasticae per se non obligant cum mortis periculo, vel alterius grauissimi damni. Nam vel Ecclesia non habet potestatem obligandi cum tanto rigore saltem regulariter, & communibus legibus; vel quia licet illam habeat, ex suavi, prudentique regimine ea non vitur, nec quidem expedit ut vitur communiter tam acce potestate. Ita Nauar. c. 25. n. 84. Salas de legib. d. 1. 1. sect. 1. Valsq. 1. 2. d. 161. c. 3. Becan. tom. 2. trakt. 3. cap. 6. quast. 4. num. 8. Valent. tom. 2. d. 7. quast. 5. punct. 6. quast. iure. 4. Azor. tom. 1. lib. 1. cap. 11. quast. 1. Laym. l. 1. trakt. 4. cap. 14. num. 9. Bonac. de Decal. d. 2. q. 8. punct. 2. num. 9. Sa v. Missa, num. 13. Diana p. 3. trakt. 6. resol. 48. & 83.

489
Hanc sententiam puro probabiliorum.

Ego quidem hanc sententiam probabiliorum existimo, cuius tamen praxim credo fore rarissimam. Quando enim contingit, ut secluso Christianae Religionis contemptu per celebrationem sine vestibus sacris, aut aliis requisitis, grauissimum damnum euitetur? Quod si derur occasio, illud scandalum non erit actuum, nec irreuerentia illa tanta ut iudicio virorum prudentum, non praeponderet vitae discrimen, dum abest contemptus.

PROBL. CI.

Licet, & non licet operto capite celebrare.

Licet planè. Quia id nullo iure prohibetur specialiter, sed generaliter tantum, nimirum quatenus iubemur, diuina Sacramenta reuerenter tractare. Sic Nauar. consil. libr. 3. tit. de celebr. Missar. consil. 4.

Non licet. Quia in cap. Nullus Episcopus de consecratione, distinctione 1. Sic ait Pontifex: Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ad solemniam Missarum celebranda presumat cum baculo introire, aut velato capite assistere & qui temere praesumpserit, communione priuetur. Quibus verbis praeceptum continetur. Ita Filiuc. trakt. 5. numer. 152. Fagundez praec. lib. 3. cap. 21. num. 53. Azor. lib. 10. c. 28. quast. 16. Syluest. v. Missa. num. 2. Angel. ibi, num. 8. Arnil. numero 7. Tabie. num. 17. Homobon. in examine part. 1. trakt. 4. cap. 15. quast. 145. Zelola in Praxi Episcop. part. 2. v. Missa §. 11. Scott. libro 3. capite 4. numero 2. Diana parte 2. trakt. 14. resol. 58. Auerl. quast. 11. sect. 13.

Existimo illis praefatis Pontificiis verbis contineri praeceptum, ideòque per se loquendo peccatum Sacerdotem, qui sine iusta vel rationabili dispensatione operto capite celebrauerit. Vnde miror Nauarum aut non legisse, aut oblitum esse illius cap. praescriptionem.

PROBL. CII.

Mortale peccatum est, & mortale peccatum non est, capite operto, Missa celebrationi dare operam.

Mortale profecto est. Quia materia satis grauis apparet contra tali mysterio debitam reuerentiam, & contra cap. Nullus Episcopus Problemate proximo relati testimonij praeceptum. Sic Angel. v. Missa, num. 8. Arnil. ibi, num. 7.

Mortale non est, secluso scandalo; & contemptu. Quia huiusmodi materia parua reputatur, est, & insufficiens ad lethale delictum. Ita Petr. de Ledesim. in sum. tom. 1. sm. 1. trakt. de Euchar. cap. 21. concl. 7. Diana p. 2. tr. 14. ref. 58. Nec refellit Auerl. q. 11. sect. 13. §. Tandem.

Equidem si rota Missa operto capite celebratur, mihi videtur, grauem esse materiam, cui graue piaculum respondebit. At si vsque ad Canonem exclusiue caput sit opertum, & deinceps aperiat, forsitan venialis culpa metas non transiliet actio, ut innuit Villalob. tom. 1. tr. 8. dub. 29. n. 11. & Franc. de Lugo de Sacram. l. 5. c. 9. n. 48. asseruit.

PROBL. CIII.

Licet, & non licet, tegere caput sacro Amictu celebrantem.

Licebitne saltem, celebrâtem sacro vti Amictu ad caput operiendum? Licebit planè. Quia Amictus institutus fuit ad caput operiendum, ideòque Galea saluus vocitatur: & sic olim Sacerdotes, Amictu super caput posito, celebrabant; postmodum vsus obtinuit, vt Amictum collobo uolumus, non tamen vetuit, quin etiam possumus ad vsum veterem remeare. Sic Nauar. in *Consl. lib. 3. tit. de celebrat. Missar. cons. 4.*

Non licebit. Quia textus in cap. *Nullum*, omne capitis velamen videtur inhibere, & Doctores etiam generaliter loquuntur, & vsus introductus sub obligatione retinendus, quia sic censetur receptus, & oppositum non parum distonderet. Ita Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 28. qu. 16.* Ledesm. in *sum. tract. de Euchar. cap. 21. concl. 5. dub. 3.*

Si suppetat causa iusta cooperiendi caput, scilicet infirmitas, vel caluitium, quod nimium frigus lædit, non est cur ad Amictus protectionem accuras, licebit enim tibi, capite cooperito celebrare. Quia tunc non temere *presumis*, (quod in eo textu cauetur) sed necessitate cogentis. Si autem uolueris Amictus operculo vti vsus ridiculè forsan præscripta violabis.

PROBL. CIV.

Vi quis constans necessitate possit cooperto capite celebrare, est, & non est necessaria dispensatio.

Necessaria non est. Quia cum subest causa palam excusans à præcepto, dispensatio minimè requiritur. Sic Nauar. in *Consl. lib. 3. tit. de celebr. Missar. consil. 4.*

Necessaria est. Quia Cæremoniale Romanum & Missale reformatum à Clemente VIII. semper exigunt dispensationem, Ità plures Auctores, quos presso nomine Franciscus de Lugo de *sacrament. lib. 5. cap. 9. numero 50.* memorat.

Ego quidè assero, si causa sit manifestè iusta, v. gr. grauis infirmitas, aut nimia frigiditas nec possit facile dispensatio postulari, te posse sine licentia capite celebrare operto: secluso tamen scandalo, si vel sacrum secretò fiat, vel adstantibus causa sit nota. Si verò causa non sit manifestè sufficiens ad excusandum, sed in sufficiens ex se vel saltem dubia: requiritur dispensatio, seu facultas superioris! Plura *sest. 1.* ex Doctoribus dedimus.

CAPVT XXIII.

Circa Missæ Ritus.

PROBL. CV.

Missalis Rubricæ, quæ præscribunt accidentales Missæ ritus, obligant, & non obligant sub mortali.



Item *sest. 1.* præter ritum essentiali, in quo huius sacrificij substantia consistit, à Domino institutum, plures alios addidit Ecclesiam, qui dici *Accidentales* possunt, & merè cæremoniales ad maiorem decentiam, & reuerentiam talis actionis pertinentes. De his ergo quæserim, num obligent sub mortali? Minimè sub mortali obligant. Quia Pontifex dum in Bulla Missali præfixa districtè præcipit sub præcepto sanctæ obedientiæ, Missam iuxta ritus eius Missalis dici solum intendit generaliter obligare ad vtendum illis ritibus, ita vt alij omnino diuersi non introducantur: non tamen intendit obligare sigillatim ad cunctas sub mortali Rubricas obseruandas Missali præfixas, quæ quidem in particulari non tam sunt præcepta, quàm instructiones quedam, atque consilia. Sic Fagund. *præc. 1. lib. 3. cap. 21. n. 7. 8. & 32.* Postuini. *de offic. Cura. cap. 2. n. 16.* Diana *p. 2. tr. 1. 4. resol. 55.*

Obligat planè sub mortali. Quia tam Tridentinum *sest. 2. de r. de seruand. in Missa*, quam Pontificum Bullæ sætò præcipiunt, & cunctos huiusmodi ritus seruari, & nullos admitti: nec verba sonant solam instructionem, aut consilium, sed præceptum suo ex genere grauius obligans. Ità Filliuc. *tract. 5. num. 155. & 159.* Bonac. *d. 4. q. ult. punct. 7. §. 3. n. 3. & punct. 10. num. 19.* Coninch *quest. 83. numer. 266.* Suar. *dist. 83. sect. 3. & dist. 84. sect. 2.* Hentiq. *lib. 9. cap. 35. num. 5.* Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 29. q. 6.* Petr. de Ledesm. *tom. 1. summ. tract. de Euchar. cap. 24. conclus. 8.*

Hanc sententiam probabiliorè puto, quam ratione confirmo. Nam hæc res per se grauis est, & ad debitum Dei cultum spectat; vt tota Missa constans ex variis actionibus, & verbis, integrè ac ordinatè celebretur. Quapropter omisso rituum voluntaria horumque per se lethale piaculum erit, nisi vel per inadvertentiam, vel ex materia leuitate, veniale reddatur, vt in aliis præceptis accidere assolet.

PROBL. CVI.

Mortale peccatum est, & peccatum mortale non est, præcæ omnes omittere, quas Missale præscribit dictitandas, dum sacris vestibus Sacerdos induitur.

Peccatum est lethale. Quia Pius V. iussit seruari ritus, ac cæremonias sui Missalis: sed

502
Sub mortali non obligant

503
Obligat sub mortali.

504
Hoc mihi probabilium.

505
Est mortale.